

1589

Messius
ut Henri-
ci III. ora-
tor a Vene-
tiis receptus.
Hierony-
mus Mat-
thæutius
Nuntius
de Messio a
Senatu re-
cepto con-
queritur.

Principis
responsum.

Matthæu-
tius Nun-
tius Venetis
obnuntiat.

Leonardus
Donatus
extra ordi-
nem ad
Pontificem
orator.

Nuntius, cognovisset, postridie ejus diei, qui fuit quinto idus octobris, ad Collegium accedens, gravi oratione præfatus, *Se quidem, inquit, aliis in rebus cunctanter agere; dissimulatione quandoque uti sibi licere arbitrari; in hac causa, in qua de Dei Optimi Maximi religione & cultu agatur, nihil dissimulanter agendum, ex animo libere loquendum: mirari, Senatum palam Navarrae favere; unum inter reliquos catholicos Principes ejus patrocinium suscepisse, quem hæresi infectum, præscæ religionis desertorem esse constaret; qui alias in id crimen lapsus, ejerata fæda superstitione, veniam a Gregorio XIII. per literas perque oratores precatus sit, atque ad pristina sacra reversus; iis denuo relictis, sese in eandem voraginem præcipitem dederit: scire cupere, an Navarrae nuntium ministrumque recipere Senatus velit; ejus mentem sciscitari; cognita, quod sibi Pontifex jussisset, enunciaturum.* Ad hæc Princeps, *Senatum de more responsurum, inquit: interea si quid in mandatis habeat, enuntiet; neque enim insuetum quidpiam Rempublicam aggredi, dum jure apud omnes gentes recepto ageret, atque, uti recta regiminis ratio poscat, amicitias cum omnibus Principibus coleret: summo Apostolicam Sedem obsequio se quidem venerari; at eos, qui ad se Principum nomine ventitarent, quin audiret, prætermittere non posse; nil causæ esse, cur vel Pontifex, vel alii merito de Republica conqueri, ac jure facta carpere queant.* His Principis verbis excitus & commotus Matthæutius, *Si, inquit, Navarrae legatum Senatus exceperit, monere, eique obnuntiare se a Xysto jussum.* Tum Princeps, mirari, subjicit, *ita cum libera Republica agi, quæ optimis consiliis nixa, quid e re sua esset, statueret; quæ, religione simul cum libertate hausta, majorum exemplo, nemini in Divinarum rerum cultu, atque erga Romanos Pontifices observantia concederet.*

Hæc cum nova atque inexpectata Patribus accidissent, Senatu consulto Romam extra ordinem legatum, qui & Pontificis mentem leniret, & Senatus decretum tueretur, mittere statuunt. Leonardus Donatus, rerum usu ac prudentia præstans, qui antea ordinariam legationem obiverat, est lectus. Eodem tempore ad Baduarium datæ literæ; Xysti animum flectere nitatur; quæ ad hoc decretum faciendum Patres impulerint, exponat;

quot